

Bernhard Ludwig Königsmann


Narratio Manethoniana De Regibus Pastoribus Iterum Aegypto Excidentibus A Flavii Josephi Argumentis Vindicata : Prolusio Historico-Critica Qua Explorationem Iuventutis Litterariam In Athenaeo Flenopolitano Postridie Calendas Apriles MDCCLXXXIX. H. L. Q. C. Peragendam ; Variasque Nonnullorum Eius Scholae Alumnorum Orationes Eodem Et Loco Et Die Habendas

Slesvici: Serringhusianus, 1799

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819302198>

Druck Freier  Zugang






48-6.

F. c. - 1079,
F. c. - 1079.

Ant. Spod. Synonymen.
Rostock im Nov. 1828.



NARRATIO MANETHONIANA DE REGIBVS PASTORIBVS
ITERVM AEGYPTO EXCIDENTIBVS

A

FLAVII JOSEPHI ARGVMENTIS VINDICATA

PROLVSIO HISTORICO-CRITICA

QVA

EXPLORATIONEM IVVENTVTIS
LITTERARIAM

IN

ATHENAEO FLENOPOLITANO

POSTRIDIE CALENDAS APRILES c1810ccLXXXIX.

H. L. Q. C.

PERAGENDAM

VARIASQVE

NONNVLLORVM EIVS SCHOLAE ALVMNORVM
ORATIONES

EODEM ET LOCO ET DIE HABENDAS

INDICIT

BERNH. LVDOV. KOENIGSMANN

SCHOLAE ILLIVS RECTOR.

SLESVICI

EX OFFICINA SERRINGHVSIANA c1810ccLXXXIX.

INSTITUTIONUM DE THEOLOGIA
SACRAE

IN THEOLOGIA SACRA

PROLOGUS HISTORICO-CRITICUS

DE ORATIONEM INVENTIVIS
LITTERARIAM

A THEMATICO THEOLOGICO

THEOLOGICO SACRAE

M.D.C.

TERWAGENDAM

VARIA

PROLOGUS HISTORICO-CRITICUS

ORATIONES

DE THEOLOGIA SACRA

THEOLOGICO

THEOLOGICO SACRAE



THEOLOGICO

Quod sinistro quodam fato in tot praeclaris temporum antiquorum monumentis euenit, ut vel penitus interirent, vel perexigua tantum sui parte seruentur, idem et in grauissimis rerum Aegyptiacarum auctoribus vetustis accidisse dolendum est. Ab vno quidem Manethone si discefferis, de indigenis huiusmodi earum scriptoribus habemus neminem, qui a prima illas origine paullo latius sit persecutus. Tamen et ipse fere totus desideratur. Nam quae Africanus et Eusebius ex eo excerpere, a Georgio monacho deinceps repetita, vix pro epitome eius haberi possunt, cum mera regum singulorum, annorumque, quibus imperarint, enumeratione defungatur vterque, omni rerum gestarum expositione omissa. Quo cariores nobis esse debent luculentae aliquot operis Manethoniani apud Iosephum reliquiae. Tradit in his auctor, bis ab orientis partibus Aegyptum inundasse pastores quosdam, regnoque occupato ac rursus amisso, semel iterumque in vicinam Palaestinam emigrasse. Cuius quidem rei fides nittitur sacris Aegyptiorum libris, vnde historiam suam, teste Iosepho ¹⁾, haussisse se profitetur Manethon, Aegyptiorum ille a litteris sacris, summusque rei diuinae apud eos antistes. Atque hic quae de priori pastorum in Aegyptum profectio et ex ea discessu refert, quamuis nec ipse de Israëlitis intelligenda esse perhibeat, nec eiusmodi interpretatio cum sacra Hebraeorum memoria conciliari vilo modo possit: tamen Iosephus de iis accipere, eademque, quasi huic prorsus consentanea, nec vlli erroris suspitioni obnoxia, ad gentis suae antiquitatem ostendendam adhibere non dubitat. Sed quia non aequè arridebant, quae de altero pastorum illorum in Aegyptum aduentu et exinde abitu prodit Manetho, in his eum non sacra amplius volumina sua; verum incertos quosdam auctores fabulasque secutum, quin Iudaici nominis odio, cuius homini Aegyptio fat multae fuerint caussae, vel ipsum ea commentum esse criminatur Iosephus. Quae cum frustra obiici censeamus Manethoni: haec ab eo repellere, quantumque in nobis est,

A 2

planum

1) cont. Apion, I, 14, et 26, opp. Tom. III. p. 1156, et 1196 (Oberth.).



planum ac perspicuum facere studebimus, pari illum candore in vtraque re commemoranda fuisse versatum.

Summa autem narrationis, Iosepho tam inuisae, huc fere redit ²⁾. Aegyptiorum rex Amenophis, vatis cuiusdam monitu, omnes aut lepra, aut alia qua corporis labe adfectos ex tota Aegypto collegisse, eosque octogies mille hominum numero in lapicidinas ad opus faciendum detrusisse dicitur Nostro. Quo in labore cum aliquamdiu defudassent illi, in his etiam leprosi aliquot sacerdotes, regem addit a se impetrari passum esse, vt morbidae isti turbae concederet Auarin urbem, olim magna frequentia a pastoribus habitatam, qui pluribus ante saeculis in Palaestinam essent egressi. Eam sedem adeptos Ofarsiphum, vnum ex sacerdotibus Heliopolitanis, ducem sibi creasse, cui in omnibus se parituros iurariint. Hunc et multa praescripisse ipsis, ceterorum Aegyptiorum moribus contraria, et interdixisse illis consortio omnium, a factione sua alienorum, munitaque vrbe, eosdem ad bellum paratos esse iussisse. Tum delectos quosdam sacerdotes, aliosque homines contaminatos, misisse ad pastores, post exitum ex Aegypto suum in Palaestina degentes, hosque maximis pollicitationibus sollicitasse, vt iunctis secum viribus inuaderent Aegypti dominatum. Nec eos abnuisse; sed accepta conditione, ad ducenta hominum millia perrexisse Auarin urbem. Vnde post voluntarium regis Amenophis ad Aethiopas discessum, qui filium Sethonem, tunc ferme quinquennem, itineris comitem habuerit ³⁾, cum leprosa fociorum manu profectos multis modis vexasse Aegyptum, denuo ab ipsis occupatam ⁴⁾, donec post tredecim annos ⁵⁾ Amenophis huiusque filius Sethon, cum binis reuersi exercitibus, proelio commisso, fusos fugatosque hostes ad Syriae vsque fines sint persecuti. Sacerdotem vero illum Heliopolitanum, Ofarsiphum, qui rei publicae iis formam legesque dederit, cum ad ipsos transiisset, Mosen perhiberi appellatum.

Narrationem istam vt infringat, triplicem maxime viam ingreditur Iosephus. Primum vitur Manethone, vt videri vult, aduersus ipsum teste.


Deinde

2) Vid. loc. cit. cap. 26. sq. p. 1196 — 1204.

3) Sic certe Iosephus ibid. cap. 33. p. 1216. extr.

4) Vid. eund. iubi cap. 26. p. 1200. princ.

5) Vid. l. c. et cap. 28. extr. p. 1208.



Deinde regem Amenophin ab eo suppositum esse adfirmat, ratione opinionis suae allata. Denique vniuersam hanc narrationem pronunciat sine vlla verisimilitudine esse confictam, idque per partes ostendere annitur. Nos ad singula singulatim.

Et statim ab initio Josephus id vrgendum sibi putat ⁶⁾, quod in superioribus tradiderit ipse Manetho, non sub Amenophi demum rege; sed iam quingentis duodeuiginti annis ante sub rege Tethmosi ex Aegypto discessisse Israëlitis. At nusquam hoc dixerat ille. Verum ita eum prorsus inuitum explicat Josephus. Manetho ⁷⁾ gentem quandam pastoritiam, quae Aegyptiace vocata sit *Hycsos*, seu *reges pastores*, ex oriente in Aegyptum irrupisse auctor est, rerum ibi potiente Timao, totaque regione subacta, postquam quingentis eam et vndecim annis tenuisset, graui ac dinturno a variis Aegypti regibus bello aduersus ipsam excitato, tandem maxima eius terrae parte exutam et in urbem Auarin compulsam esse. Vbi cum frustra obsideretur a rege Tethmosi, dato sibi incolumi abitu, ducenta quadraginta non minus hominum millia expletem, relicta Aegypto, tetendisse in Syriam, ac metu Assyriorum, tunc Asiae imperantium, in eo Syriae tractu, qui Manethonis tempore dicatur Judaea, urbem tantae multitudini recipiendae idoneam condidisse, eamque appellasse Hierosolyma ⁸⁾. Esse autem, qui Arabas fuisse gentem illam ferant.

Nihil igitur hic de Israëlitis. Potius ignorare se declarat Manetho, quam nominatim ex terra in Aegyptum delati sint pastores isti. Nam et



A 3

vni-

6) cap. 26. p. 1196. et 1198.

7) ibid. cap. 14. p. 1156 — 1160.

8) In sequentibus quidem (p. 1196. et 1198.) summa quaedam huius expositionis capita repetens Josephus Manethonem tradidisse perhibet, pastores istos, Hierosolyma condita, τὸν νέω κατασκευάσασθαι, templum excirasse. Quod si re vera scripserit ille, grauius sane esset hallucinatus, cum satis constet, templum Hierosolymitanum ante Salomonis tempora fuisse nullum. Sed nostro loco (p. 1156 — 1160), vbi τὴν λέξιν αὐτοῦ ipsius verba apposuisse se testatur Josephus, eius rei nec vola, nec vestigium apparet. Vnde soli Josepho id adsummentum debere intelligitur, seu sefellerrit eum memoria, seu alia qua causa in fraudem sit inductus. Similem eius lapsum notatum vide infra obseru. 30.



uniuerſe tantum ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν, ex orientis partibus veniſſe illos ait, et in medio relinquit famam eam, quae de ipſius indicio Arabibus eos accenſet. Quod autem Hieroſolymam ab iis aedificatam refert, nemo exinde collegerit, eosdem pro Iſraëlitis ab illo venditari. Quippe Hieroſolymam non Iſraëlitis originem debere notum eſt, ac Daudidis demum aetate totam ab iis eſſe expugnatam⁹⁾.

Enimvero ex temporum ratione planiſſime intelligitur, fieri omnino non poſſe, vt paſtores illi fuerint Iſraëlitae. Contigit priorum ex Aegypto egreſſus, vt ex Manethone Joſephus computat¹⁰⁾, trecentis nonaginta tribus annis ante, quam ad Argiuos confugiſſet Danaus. Jam ex marmore Pario conſtat, Danaum ad Argiuos traieciſſe anno periodi Iulianae 3227, ſeu ante vulgarem a Chriſto orto calculum anno 1487, qui ex Petauii placitis eſt annus mundi 2497¹¹⁾. Quodſi ergo Danaï ad Graecos nauigationem 393. annis praecediſſet paſtorum illorum ex Aegypto exitus: incidit hic in annum mundi 2104, adeoque *quatuor annis ante* euenit, *quam* ſecundum eiusdem Petauii decreta, immo ſecundum ipſum Joſephum¹²⁾, *natus eſſet Iacobus, Iſraëliſtarum parens.*

Rurſus idem Joſephus horum ex Aegypto eductionem cum plerisque omnibus chronologis conſert in annum orbis conditi 2453. Nam diluuium Noachicum coepiſſe ait anno mundi 1656¹³⁾; Abrahamum vero et natum eſſe

9) Vid. Joſ. XV, 63, Jud. I, 21. et 2 Sam. V, 6. ſqq.

10) l. c. cap. 16. p. 1164. Oriuntur quidem ex ſingulis imperii ſpatiis, quae cap. anteced. commemorat Joſephus, et vnde hanc ille ſummam elicit, anni tantum trecenti triginta tres. Sed numeros ibi corruptos eſſe ſuadent indices Africani et Eufebii, qui nonnullos certe haud paulo maiores faciunt.

11) Vid. Rennebaum, tabb. ſynchron. hiſtor. cathol., Germanico ſermone conſcriptas, obſeru. 12. p. 18. ſq.

12) Nempe, vt continuo docebitur, Iſraëlitas, Moſe duce, ex Aegypto profeſtos ſtatuit illa anno mundi 2453; Iacobum vero 215. ante hanc profeſſionem annis in Aegypto conſediſſe monet (antiq. Jud. II, 15. 2. p. 218), cum quidem egeret annum aetatis 130 (vid. ibid. cap. 7. §. 6. p. 174. 176).

13) antiq. Jud. I, 3, 3. opp. Tom. I, 2. 26.

esse anno post illud diluuium 292¹⁴), et anno aetatis 75. in Chanaanæam transiisse¹⁵), denique Israëlitas Aegyptum reliquisse anno 430. ab Abrahami in Chanaanæam aduentu¹⁶). Qui quidem anni si in vnam summam colliguntur, existit ipse ille, quem diximus, annus mundi 2453. Itaque cum pastores, eodem Josepho auctore, vt modo vidimus, iam anno post orbem conditum 2104. ex Aegypto abierint primum: fane in propatulo est, hanc eorum ex illa migrationem *tribus pacne cum dimidio saeculis* vetustior-rem esse Israëlitarum ex ea discessu.

Tolli quidem ista temporum discrepantia videatur, si quis cum Tatiano et Alexandrino Clemente Mosen faciat aequalem Inachi, primi Argiuorum regis, qui imperium cepit anno periodi Julianæ 2857, et ante Dionysianum Christi natalem anno 1857, siue anno orbis conditi Petauiano 2127¹⁷). Tatianus enim orat. cont. Graec. §. 59. Ptolemaeum Mendesium in suo de regibus Aegyptiis commentario tradidisse refert, *κατ' Αμωσιν, βασιλέα Αιγύπτου, γεγονέναι Ιουδαίους τὴν ἐξ Αιγύπτου πορείαν, Μωσέως ἡγουμένου, Αμωσιος, regis Aegyptii, actate a Iudæis, Mose duce, suum ex Aegypto iter esse susceptum.* Subiunxisset etiam Ptolemaeum ait: *ὁ δὲ Αμωσις ἠγένετο κατ' Ιναχον βασιλέα, Αμωσις autem aequalis fuit Inachi.* Cum Tatiano concinit Clemens Alexand. Strom. I. p. 320, addens idem: *ἐξ ὧν συνῶπται, κατὰ Ιναχον ἡμακέναι τὸν Μωσέα, Ex quo perspicitur, Inachi tempore stornisse Mosen.*

At parum nos mouere debet horum vtriusque auctoritas. Nam simili plane ingenii studiique scriptor, Justinus Martyr, Apionem et in suo contra Iudæeos libro, et historiarum libro quarto prodidisse, cohortat. ad Graec. p. 10. itidem perhibet; *κατὰ Ιναχον, Αργου βασιλέα, Αμώσιος, Αιγυπτίων βασιλεύοντος, ἀποστῆναι Ιουδαίους, ὧν ἠγείσθαι Μωσέα, Inachi, Argorum regis, tempore, ab Αμωσι, Αεγυπτίις imperante, descuiisse Ιουδαεος, quos duxerit Μωσες.* Sed luculenter demonstrat Perizonius¹⁸), Justinum tribuisse *Ju-*
daeis,

14) *ibid.* I, 6, 5. p. 48.

15) *ibid.* cap. 7. §. 1. p. 50.

16) *ibid.* cap. 15. §. 2. p. 218.

17) Vid. Petæu, *rationar. temp.* part. II. lib. 2, cap. 5. p. 91. et part. I. lib. 1, cap. 4. p. 14.

18) *orig. Aegypt.* c. XVIII. p. 314. 594.

daeis, quae Apion perinde, ac Manetho, de *regibus pastoribus* narrauerat, nulla omnino *Judaeorum*, nedum *Mosis* mentione facta. Eademque in culpa et Africanum versari agnoscit vir eruditissimus. Quis igitur nobis spondeat, Tatianum et Clementem non idem sibi summississe in Ptolemaeo Mendefio, quod Justinus et Africanus, immo et Josephus, in Apione partim, partim in Manethone? Certe Eusebius in praefat. can. chron., Mosen Inachi temporibus floruisse, dici memorat a viris doctrina claris, Christianis pariter ac *Judaeis*, *ιδίως ἐκάστω τὴν ἀπόδειξιν ἐν παλαιᾷ ὑποσχούσι ιστορίᾳ, qui pro se quisque eius rei ex veteri historia demonstrationem susceperint.* Et nihilo fecius ipse ad longe feriora tempora demittit Mosen. Hoc autem qui potuisset facere, si, quod probandum susceperant, id re vera probassent illi? Vnde satis patet, totam eam de Mose, ad Inachi aetatem reiciendo, opinionem ex prava Ptolemaei Mendefii aequae, ac ceterorum scriptorum interpretatione fluxisse, qui reges pastores tradiderant ab Amosi, vel potius *Thmosi* ¹⁹⁾, ad Aegyptum relinquendam fuisse compulsos. Manet ergo, quod ostendimus ante, *Israëlitae* trecentis demum vndequinquaginta annis post emigrasse indidem.

Existimare hinc licet, quam recte Josephus ²⁰⁾, in vtrorumque egressu commemorando, posteriorum abitu mille annis recentius faciat Troiae excidium. Etenim idonei auctores plane consentiunt, Ilium euersum esse annos 408. ante primam Olympiadem, siue annos 1184. ante Christum natum, hoc est anno mundi Petauiano 2800 ²¹⁾. Atqui inter hunc et annum mundi 2453, quo ex ipsius Josephi rationibus *Israëlitae* excesserunt Aegypto, non mille; verum *trecenti tantum quadraginta septem* anni inter-

19) Scilicet Josepho in suo aduersus Apionem opere *Τέθμωσις* et *Θούμμωσις* vocatur rex iste (veluti I, 15. et 14. p. 1160). *Θούμμωσις* quidem mutatione consueta fit ex *Τούθμωσις*, quo nomine Africanus et Eusebius, in decima octaua regum serie enumeranda, insigniunt *Misphragmuthoseos* filium successoremque. Porro pro *Τέθμωσις* et *Τούθμωσις* per aphaeresin vsurpatur *Θμῶσις*, sicut eundem *Misphragmuthoseos* filium appellat Josephus (ibid. cap. 15. p. 1162). Ex *Θμῶσις* autem facilis est lapsus in *Αμωσις*, permutatis inter se similis figurae litteris Θ et Α.

20) cont. Apion. I, 16. p. 1164.

21) Vid. Petau. ration. temp. II, 2, 10. p. 123. sq.



terfunt. Taceo alias rerum pugnās, quae necessario sunt consecuturae, si quis spatium, vtrique illi, quem diximus, euentui interiectum ad mille vsque annos extendat. Sed nihil magis timuisse apparet Iosephum, quam ne cui gens sua parum antiqua videretur.

Ac quo minus huic rei locum det Manethonis de pastoribus, ex Palaestina reuerfis, in eamque repulsis narratio, ipsum fateri ait, meris istam fabulis inniti, quae sine vlla auctoritate spargantur. Operae pretium est cognouisse, quibus ille verbis hoc dicere faciat Manethonem. Priori contra Apionem libro cap. 16. p. 1164. ita quidem loquitur: ὑπὲρ ὧν δ' ὁ Μανηθὼν οὐκ ἐκ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις γραμμάτων, ἀλλ', ὡς αὐτὸς ὁμολόγηκεν, ἐκ τῶν ἀδεσπότως μυθολογουμένων προστέθεικεν, ὅστερον ἐξελέγξω κατὰ μέρος, *Quae autem Manetho non ex Aegyptiorum litteris; sed, ut ipse confitetur, ex fabulosis narrationibus, quae nullo auctore ferantur, (suo de regibus pastoribus testimonio) adiecit, de his illum postea per partes redarguam.* Et ibid. cap. 26. p. 1196. sq. ὁ γὰρ Μανηθῶς οὗτος, ὁ τὴν Αἰγυπτιακὴν ἱστορίαν ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων μεθερμηνεύειν ὑπεσχημένος, προσιπὼν, τοὺς ἡμετέρους προγόνους πολλαῖς μυριάσιν ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον ἐλθόντας κρατῆσαι τῶν ἰνοικούντων, εἶτ' αὐτὸς ὁμολογῶν, χρόνῳ πάλιν ὅστερον ἐκπεσόντας τὴν νῦν Ἰουδαίαν κατασχεῖν, — μέχρι μὲν τούτων ἠκολούθησε ταῖς ἀναγραφαῖς ἑπεντα δὲ δούς ἐξουσίαν αὐτῷ, δια τοῦ φάσαι γράψαι τὰ μυθεύόμενα καὶ λεγόμενα περὶ τῶν Ἰουδαίων, λόγους ἀπιθάνους παρενέβαλεν, ἀναμίξαι βουλόμενος ἡμῖν Αἰγυπτίαν πλῆθος λεπθῶν. *Etenim Manetho ille, qui historiam Aegyptiacam e sacris litteris expositivum se professus est, quoad ante dixit, maiores nostros cum multis myriadibus in Aegyptum profectos subegisse incolas, deinde quoad agnovit ipse, eos imperio aliquamdiu post vicissim exutos hodiernam Judaeam occupasse, haecenus quidem secutus est commentarios illos. Tum vero licentiam sibi arrogans, eo quod scripturum se ait, quae fabulentur et dicant de Judaeis, commenta parum probabilia infarsit, Aegyptiorum leproforum turbam nobis volens admistam.*

Vtroque loco Manethonis sensum ita expressum esse liquet, ut eum capiebat Iosephus, vel certe ut capi eum volebat. Nam quae eorum vno sunt τὰ ἀδεσπότως μυθολογούμενα, haec altero vocantur τὰ μυθεύόμενα καὶ λεγόμενα περὶ τῶν Ἰουδαίων. Nec insolens est Iosepho, ut aliis tribuat, non quae

B

reapfe

reapse dixerunt; sed quae ex ipsius opinione debuerunt dicere. Sic, ne longe abeam, loci posterius exhibiti principio Manethonem de *Israëlitis* tradidisse perhibet, quae illum de hominibus toto caelo diuersis retulisse intelleximus supra. Idem, paucis interiectis, facit iterum, utrobique Manethonem *αὐτὸν ὠμολογημένα, ipsum de Israëlitis talia fassum esse* adfirmans. Vnde non temere quaeratur, an recte enunciauerit Manethonis mentem, cum similiter *fassum esse* ait, quae praeterea de regibus pastoribus adferat, ex inanibus se fabulis et omni firmamento destitutis repetiisse. Quod equidem haud dubitanter negandum existimo.

Atque ita ut sentiam, cum natura rei ipsius, minime eius ad fidem procliuis, tum hac potissimum causa adducor. A Manethoniana de leprosis narratione minutatim carptimque reprehensa sic abit Iosephus ²²⁾: *ἰκανῶς οὖν γεγονένα νομίζω καὶ δῆλον, ὅτι Μανηθῶς, ἕως μὲν ἠκολούθει ταῖς ἀρχαίαις ἀναγραφαῖς, οὐ πολὺ τῆς ἀληθείας διαμέτραιεν. ἐπὶ δὲ τοὺς ἀδεσπότης μύθους τραπόμενος, ἢ συνέθηκεν αὐτοὺς ἀπιθάνως, ἢ τισὶ τῶν πρὸς ἀπέχθειαν εἰρηκότων ἐπίστευσεν, Satis igitur etiam illud ostensum puto, Manethonem, quoad sequebatur antiquos commentarios suos, non multum a vero aberrasse. Sed conuersus ad fabulas, nulla auctoritate fultas, aut consinxit eas parum probabiliter, aut fidem habuit nonnullis, qui per similitatem sunt locuti. Iam si re vera prae se tulerat Manetho, suam de leprosis narrationem e quorundam fabulose dictis manasse, quomodo *incertus* esse poterat Iosephus, utrum ipse consinxisset eam, an ab aliis accepisset? Quomodo item Manetho *fidem habere* poterat iis, quae plane commentitia ille nulliusque auctoritatis esse sciebat? Itaque in confesso est, dicere hunc nequiuisse, narrationem eam *ἐκ τῶν ἀδεσπότης μυθολογουμένων ab se haustam, vel hac se complexurum esse τὰ μυθεύμενα περὶ τῶν Ἰουδαίων.**

Quare verba ista haud dubie debentur interpretanti illum Iosepho, qui eadem fere et loco paullo ante recitato adhibet, cum ad narrationem commemoratam respiciens Manethoni obiicit, eum ad *ἀδεσπότης μύθους* conuertere se nonnunquam. Hic quidem fortasse scripserit: *περὶ δὲ τῶν ποιμένων — — — τὰδε λέγονται, vel τὰδε λέγουσι τινες, vel, ut ipsis Iosephi verbis utar, γράψω τὰ λεγόμενα.* Quae arripiens Iosephus explicuit, prout sibi

22) Cap. 31. cap. p. 1214.



fibi commodum videbatur, in illum ea sensum detorquens, quasi obscuram aliquam famam, aut vanissimam potius fabulam allaturum se esset professus. Sed τὰ λεγόμενα notare possunt etiam ea, quae ab auctoribus satis locupletibus traduntur. Neque alios significare voluit Manetho, cum de priorum pastorum in Aegyptum expeditione loquens diceret: τινὲς δὲ λέγουσιν αὐτοὺς Ἀραβὰς εἶναι, Nonnulli autem Arabas fuisse eos (pastores) tradunt. Vnde simul intelligitur, de eodem argumento plures scriptores ab illo esse consultos. Non igitur est, quod Manethonem promissi sui oblitum arbitremur, quo res Aegyptiacas e libris sacris; haudquaquam vero incertis ex fontibus anilibusque quibusdam fabulis ducturum se erat pollicitus.

Vidimus de testimoniis, quae idem contra se ipsum ferre dicitur Josepho. Sequitur, ut exquiramus, an recte contendat hic, regem Amenophin ab illo esse confictum. Iudicii istius causam reddit hanc, quod in Amenophi attingendo imperii annos non notauerit Manetho, quamvis in aliis id regibus fecerit perdiligenter. Nempe imperii annos non notavit tum, cum in sua de leprosis narratione eum memoraret. At suo loco indicare illos haud neglexit. Quod ut perspiciatur, declarandum est omnino, quisnam ex pluribus eiusdem nominis regibus fuerit ille Amenophis, qui leprosos ad lapidinas damnaſſe a Manethone perhibeatur.

Neque id profecto dubium esse vilo modo potest. Tribuit enim Manetho Amenophi isti filium Sethum, qui idem a Rampſe, Amenophios patre, etiam Rameſſes sit vocatur, cumque quinquennis a patre depositus esset apud amicum, mox cum eodem auferit in Aethiopiam, unde tredecim annis post cum duobus exercitibus reuerſus vterque pastores iuxta ac leproſos expulerit ex Aegypto. Ipse Manetho apud Joseph. cont. Apion. I, 26. p. 1202. τὸν δὲ υἱὸν Σάθον, τὸν καὶ Ραμέσσην, ἀπὸ Ράμψεως, τοῦ πατρὸς (τοῦ τῷ Ἀμενώφει γεγόνητος), ὠνομασμένον, πεντάετη ὄντα, ἐξέβητο πρὸς τὸν ἑαυτοῦ φίλον, Filium vero Sethum, qui a Rampſe, Amenophios patre, etiam Rameſſes appellabatur, idemque erat quinquennis, apud amicum deposuit. Et ibid. cap. 33. p. 1216. Josephus: ἀλλὰ μὴν ὁ Ραμέσσης, ὁ τοῦ Ἀμενώφιος υἱὸς, κατὰ μὲν τὸν Μανεθῶνα νεανίας συμπολεμεῖ τῷ πατρὶ, καὶ συνεκπίπτει, Φυγὼν εἰς τὴν Αἰθιοπίαν, Atque etiam Rameſſes, Amenophios filius, Manethone quidem auctore, iuuenis cum patre praestitit bello, et puer cum eo excidit patria, in Aethio-

thiopiam digressus exsulatum. Denique loc. cit. cap. 27. p. 1204. λέγει δὲ ὁ Μανέθων πάλιν, ὅτι μετὰ ταῦτα ἐπῆλθεν ὁ Ἀμένωφης ἀπὸ Αἰθιοπίας μετὰ μεγάλης δυνάμεως, καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ράμφης, καὶ αὐτὸς ἔχων δύναμιν. καὶ συμβαλόντες οἱ δύο τοῖς ποιμέσι καὶ τοῖς μισθοῖς ἐνίκησαν αὐτούς, καὶ πολλοὺς ἀπαιτέσαντες ἐδίωξαν αὐτούς ἄχρι τῶν ὄρειων τῆς Συρίας, *Rursus ait Manetho, posthac Amenophin cum magno exercitu ex Aethiopia aduenisse, itemque filium eius Rampfen, et ipsum exercitu instructum, quorum virumque cum pastoribus foedisque hominibus congressum, victis iis, multisque occisis, eosdem ad Syriae fines usque esse persecutum.* Quo ex loco pariter atque ex eo, quem de tribus istis primum laudauimus, id quoque perspicui licet, Ραμέσσης et Ράμφης pro eodem nomine a Iosepho haberi, iccircoque hoc ex illo esse contractum, et iso quidem εσ, et inter μ et σ, Graecorum more, interferto π, vt in Σαμφῶν (pro Σαμπσῶν) ex ΨΩΩ, et in id genus aliis. Sic Τάμφη in epitome Strabonis pro Ταμάση, Cypri vrbe, quae et Ταμασός.

Vult igitur Manetho, ab illo *Amenophi* pastores ex Aegypto fuisse eictos, qui *patrem* habuerit *Rameffen* filiumque *Sethum*, eumque simul et *auo Rameffi* cognominem. Jam qui post pastores primum ex Aegypto egresfos, trecentorum et quod excurrit annorum spatio, se inuicem exceperint, reges perconsens idem Manetho apud Ioseph. l. c. cap. 15. p. 1162. τοῦ δὲ (Ραμέσσης υἱὸς), inquit, Ἀρμέσσης (leg. Ραμέσσης) Μιαμμοῦ (ἤρξεν ἐτη) ἑξήκοντα ἔξ καὶ μῆνας δύο. τοῦ δὲ Ἀμένωφης δέκα καὶ ἑννέα καὶ μῆνας ἕξ. τοῦ δὲ Σέθωσις καὶ Ραμέσσης, ἰππικὴν καὶ ναυτικὴν ἔχων δύναμιν, *Rameffis* autem filius, *Rameffes* *Miammu*, regnavit annos sexaginta sex, cum mensibus duobus: eius deinde filius *Amenophis* annos vndeuginti et menses sex: tum huius filius *Sethosis* et *Rameffes*, qui equestres navalesque copias habebat.

En regem *Amenophin*, cui *pater* erat *Rameffes* filiusque *Sethos*, qui et ipse *Rameffes* dicebatur. Nam Σέθωσις a Σέθωσι non nisi Graeca terminatione differt. Vnde qui hic Σέθωσις, idem Africano et Eusebio est Σέθωσι. Immo ita eum appellat ipse Iosephus aliquanto inferius cap. 26. p. 1198, quicum conferri debet cap. 15. extr. p. 1164. Nec in tota illa regum serie, quam paullo ante commemorauimus, quaeque apud dictum modo Africanum et Eusebium ad Troiana vsque tempora continuatur, vllus praeterea est *Amenophis*, qui talium nominum et patre, et filio fit vsus. Verum
et

et aetas eius Amenophios plane conuenit cum aetate Mosaica. Auctor est Manetho ²³⁾, Amenophios filium Sethofin alio nomine et *Aegyptum* vocatum esse, fratremque habuisse Armaën sive Hermaeum, qui *Danaus* quoque sit appellatus. Hunc paterno regno a fratre praefectum, cum ipse quidem longinquam in varios orientis populos expeditionem esset suscepturus, diutius eo absente, seditionem contra illum mouisse. Quo cognito, vbi prope rediisset Sethofis, Danaum fratrem ab eo esse eiectum. Argos autem Danaus, vt monuimus supra, transit anno ex Petauii quidem praecipis eo, qui post urbem conditum est 2497. Atqui hunc ex iisdem, ad stipulante etiam Iosepho ²⁴⁾, quadriennio tantum anteuertit Mosis de vita discessus. Ex quo efficitur, degisse Mosis tempore sicut ipsum Danaum: ita multo magis huius patrem Amenophin. Vnde et disertè Hecataeus Milesius, quem pluribus ante Manethonem saeculis scripsisse, ipsoque Herodoto antiquiorem esse constat, *Mosen* aequalem facit *Danao* et *Cadmo*, cum apud Photium in biblioth. p. 1152. tradit, lue apud Aegyptios exorta, suspectae cuiusdam multitudinis, ab iis expulsae, partem nobiliorem fortiorumque Danaï et Cadmi auspiciis in Graeciam traiecisse; maiorem vero a Mose deductam esse in Palaestinam, tunc plane desertam et incolis vacuam.

Itaque certum est omnino, eum ipsum, quem diximus, Amenophin a Manethone perhiberi illum, abs quo pastores iuxta cum leprosis ex Aegypto sint exacti. Sed hunc *per vndeuginti annos cum dimidio* Aegyptiis imperasse apud Iosephum loco adscripto ²⁵⁾ refert Manethon. Quare labitur utique Iosephus, cum ei Amenophi, qui leprosos exturbasse a Manethone dicatur, regni tempus ab isto adiungi negat. Quodsi autem falsum est, tempus hoc ab eo non esse proditum: ne illud quidem pro vero accipi debet, quod exinde concludit Iosephus, regem eum Amenophin a Manethone fuisse confictum.

At miretur fortasse aliquis, quomodo contingere potuerit, vt in talem is errorem incideret, qui ipse adferat Manethonis locum, vnde contrarium

B 3

in-

23) Ap. Ioseph. cont. Apion. I, 15. p. 1162. 1164.

24) Vid. eum antiq. Jud. II, 15, 2. p. 218. et IV, 8, 49. p. 440, additis iis, quae nos ante ad constituendum tempus, Israëlitarum ex Aegypto egressui ab eo assignatum.


25) Respice ad §. eam, quae proximam antecedit.



intelligi queat. Eius rei causam inuenio hanc, quod Sethosios ille filium
 successorumque *Rampsen* confudit cum *Rampse*, Amenophios patre Setho-
 siosque auo. Etenim inter Tethmosin regem, quo imperante, primum ex
 Aegypto exiisse dicantur postores, et inter Amenophin, cuius aetate iterum
 inde excessisse perhibeantur, quingentos duodeuiginti annos interiectos
 esse ait. Nempe a Tethmosi ad expulsam a Sethosi Hermaeum seu Danaum
 effluxisse annos 393, Sethosin postea adhuc regnasse annos 59, tumque
 filium eius Rampsen annos 66. Qui quidem anni in vnam summam redacti
 complent sane 518. Huius summae partibus ita quidem enumeratis, τοσοῦ-
 τοις οὖν πρότερον ἔτεσιν, inquit idem ²⁶), ἀπελθεῖν ἐξ Αἰγύπτου τοὺς πατέρας
 ἡμῶν ἀμολογηκῶς (Μανηθῶν), εἶτα τὸν Ἀμένωφιν εἰσποιήσας, ἐμβόλιμον βασιλέα,
 Φησι, τοῦτον ἐπιθυμῆσαι κ. τ. λ., Tot igitur annis ante maiores nostros ex
 Aegypto abiisse falsus Manethon, intruso deinde Amenophi, rege commenti-
 tio, concupisse hunc dicit cet. Collocat igitur Iosephus Amenophin istum
 post eum Rampsen, qui filius fuit Sethonis, licet secundum Manethonem
 proxime exceperit Rampsen illum, qui eiusdem Sethonis erat auus.

Quae hactenus examinaui argumenta, Manethonianae de leprosis nar-
 rationi a Iosepho opposita, ea etli causae, ab illo defensionae, veluti arcem
 constituunt vnice: tamen ipse in horum commemoratione paucis tantum
 defungitur, praecipuam in eo operam consumens, vt ex pluribus rei tra-
 ditae adiunctis et περιστάσεων ostendat, vniuersam illam narrationem ab
 omni verisimilitudine abhorreere. Cuiusmodi studium si cessisset ei vel feli-
 cissime: ne sic quidem fore existimo, cur magnoperè sibi gratularetur. Ni-
 hil enim vltra effecisset, nisi parum probabilitatis habere, quae de leprosis
 a Manethone referuntur. At quis nescit, longe verissima esse posse, quae
 vel maxime dissimilia sint vero? Quare si operae pretium facere voluisset
 Iosephus: ante omnia id agere debuerat, non vt vix credibile esse demon-
 straret, rem ita fuisse gestam: sed ita geri prorsus nequiuisset. Haec enim
 vna est ratio, qua res in facto posita conuincatur falsi, si quidem sola eius
 natura impugnetur. Alioqui minime est obscurum, in narrato euentus
 alicuius modo pluscula carpi vel rectissime posse, licet ad rei summam satis
 ipse maneat non solum consentaneus; verum etiam probabilis. Neque ta-
 men ne id quidem temere dederit aliquis, admodum firma ac valida esse,
 quae

²⁶) Cont. Apion, I, 26, p. 1198.



quae ad narrationis Manethonianaë, saepius quoque ab eo peruersae ²⁷⁾, verisimilitudinem labefactandam in medium attulit Iosephus. Nam debilitari ea omnia nullo negotio posse, ipsius inspectio quemlibet facile docebit. Sed quemadmodum vel a concedendis istis nihil damni timendum; ita ab iisdem redarguendis nihil lucri sperandum est. Vnde omissa hac disputatione, vt inutiles penitus et a proposito nostro aliena, quaedam duntaxat de vtroque regum pastorum ex Aegypto exitu in vniuersum adhuc monebimus.

Obtinet fere ea opinio, vt prior ipsorum exinde profectio tradita putetur ab vno Manethone, quique hunc auctorem sint secuti ²⁸⁾. At intelligi ex iis potest, quae supra de Ptolemaeo Mendefio animaduerti, eandem ab isto quoque in litteras esse relata. Erat autem ille, iuxta ac Manetho, non tantum homo Aegyptius; verum et sacerdos popularium suorum, ac commentariis sacris apud eos praefectus, idemque rerum a regibus Aegyptiis gestarum scriptor ²⁹⁾. Quare dubitari nequit, has ab eo et ipso *e libris sacris* esse repetitas.

Chaeremonis quidem de hominum debiliu eiectione narratio, quam, Manethoniana reprehensa, similiter vituperat Iosephus, in *rege Amenophi*, huiusque *filio Ramesse* et aliis praeterea capitibus cum illa consentit, licet in pluribus, iisque minoris fere momenti rebus ab ea recedens. Verum haud leuis adhuc ei infidet menda. Dicitur enim cap. 32. Amenophios coniux, quam ad Aethiopas fuga se recipiens ipse reliquerit grauidam, in speluncam quandam abdita *τεκεῖν παῖδα, ὄνομα ΜΕΣΣΗΝΗΝ, ὃν ἀνδρωθέντα ἐκδιώξαι τοὺς Ἰουδαίους εἰς τὴν Συρίαν, — καὶ τὸν πατέρα Ἀμένοφιν ἐκ τῆς Αἰθιοπίας καταδέξασθαι, puerum peperisse, nomine Messenen, qui adultus in Syriam exagitauerit Iudaeos, et patrem Amenophin ex Aethiopia recuperarit.* Vbi pro *Μεσσηνήν* legendum esse *Ραμέσσην*, cum ex eiusdem capituli principio, tum ex sequente capite apparet, quo quidem hunc in modum Iosephus: *ἀλλὰ μὴν ὁ Ραμέσης, ὁ τοῦ Ἀμενώφιος υἱός, κατὰ μὲν τὸν Μανεθῶνα, νεκρίας συμπολεμεῖ τῷ πατρὶ — οὗτος δὲ (ὁ Χαιρήμων) πεποιήκεν αὐτὸν μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν*

27) Vid. sup. ad Not. 7.

28) Sic sentit v. c. Baumgartenius, vis longe doctissimus, in ea dissertatione, quam alteri parti historiae catholicae, ipsius primum auspiciis ex Anglica in patriam linguam conuersae, p. 569. sq. subiunctam inscripsit: *Prüfung verschiedener Meinungen von der Regierung der Nachkommen Abrahams in Aegypten*, § 3 p. 570. In eadem heresi erat quoque Perizonius, quem videas licet orig. Aegypt. cap. XIX, p. 329. 340. et 350.

29) Vid. Voss. de histor. Graec. II, §. p. 181.

τὴν 30) ἐν σπηλαίῳ τινὶ γεγεννημένον, καὶ μετὰ ταῦτα νικῶντα μάχη, καὶ τοὺς Ἰουδαίους εἰς Συρίαν ἐξεδύοντα, *Quin etiam Ramesse, Amenophios filius, Manethone quidem auctore, iuuenis una cum patre belligerat. Chaeremon vero iste fecit eum post patris obitum in spelunca quadam nasci, et postea vincere proelio, ac Iudaeos in Syriam expellere.*

Denique de leprosis submersis eiectisque scelestis exponens Lyfimachus, qui ultimo loco ab Josepho perstringitur, quanquam Chaeremone iam multo longius a Manethone abit: tamen non frustra esse existimem, quod totam eam rem sub *Bocchori* rege euenisse perhibet. Vixit quidem *Bocchoris* iste multis saeculis post *Amenophin* huiusque filium *Sethum*. Verum et eiusdem *Bocchoris* aetas regem quendam Aegyptium habuit, *Sethum* nomine, a quo ipse fortassis non differt. Neque ab hac sententia alienus erat *Perizonius*, diligens profecto rerum antiquarum scrutator. Nam orig. Aegypt. cap. XIII. p. 211. *Non possum tamen negare, inquit, me in istam ceteroqui sententiam aliquantulum inclinare, ut Senecbum Aethiopiae Manethonis dynastiae relinquam, et Soum (codicis Hebraeorum sacri) ac Sethonem habeam pro Bocchori Saïte. Quodsi igitur Bocchoris et Sethus diuersa fuere eiusdem regis nomina: mirum accidat nemini, si recentior iste Sethus, utpote haud paullo notior, permutatus sit cum vetustiori illo, adeo ut postea etiam inualuerit mos, quae vel huic, vel eius patri Amenophi tribuenda erat, scabiosorum hominum ex Aegypto expulsionis adscribendae Bocchori. Ita enim Tacitus histor. V. 3. Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe, quae corpora foedaret, regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, et id genus hominum, ut inuisum diis, alias in terras auehere iussum. Sic conquistum collectumque vulgus postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Moesen, unum exfulum, monuisse, ne quam deorum hominumue opem expectarent, ab vtrisque desertis: sed sibi met ut duci caelesti crederent.*

Atque haec Manethonis caussa disserere visum est. Restat, ut ad proxima scholae nostrae sollempnia significanda accedam. Exploratio quidem alumnorum eius litteraria instituetur postridie Calendas Apriles, ab hora ante meridiem nona, in supremo ipsius conclau. Quatentatione finita, ordine perorabunt iuuenes tres, qui Germanico omnes sermone vtentur. Horum qui primus prodibit, isque in academiam digressurus salutem audientibus dicet,

JOSIAS BAERENS, FLENOPOLITANVS,

Caesaris dictatoris necem non e re publica Romana fuisse, sibi sumet declarandum. Subsequetur

ASMVS BACKMANN, VCKA - TONDERANVS,

belli idem mala tractaturus. Agmen claudet

JO. FREDER. HANSEN, SVENSBYA - FLENOPOLITANVS,

qui pacis bona commendabit.

Duplicem hunc actum ut praesentia sua condecorent SENATVS AMPLISSIMVS, VENERANDVS ORATORVM SACRORVM ORDO, omnesque litterarum hic loci fautores et amatores, diligenter in primis studioseque a nobis rogantur. Scribeb. Flenopoli ad d. III. Calend. Mart. cjo Id COLXXXIX.

30) Immo non post τελευτήν, sed post Φυγήν patris, utpote quem, filio victore, ex Aethiopia rediisse modo tradebat Chaeremon. Forte igitur pro τελευτήν Josephus scripserat ἀπέλευσιν, aut simile quid. Sed cf. supra adnot. 7.

Corrigenda.

Alteram huius commentationis plagulam post excusa demum omnia eius exempla typis descriptam conspicatus partim in illa ipsa plusculos operarum lapsus remansisse intactos, partim in priori quaedam omissa esse animaduerti. Nam

pag. 5. adnot. 8) vers. vlt. post *inductus*. addi debuerunt haec: Ita p. 1210. Manethonem dixisse memorat, τὸν παῖδα τοῦ Ἀμενώφιος, *filium Amenophis* accedentibus ad Aegyptum pastoribus cum trecentis mille hominum exercitu ad Pelusium occurrisse. At ipse Manetho non *filium*, utpote tunc *duntaxat quinquennem* (vid. p. 1202); sed *patrem* tantis cum copiis obuiam iuisse ait (ead. pag.) pastoribus, non *petentibus demum Aegyptum*; sed *eo iam delatis*, neque item *ad Pelusium*; sed *loco non indicato*. Filium vero *antea amici cuiusdam custodiae ab eo traditum esse*. Confusilem Josephi lapsum cet.

Pag. autem 9. vers. 19. pro ἀναγραφαῖς ἑπτα reponend. ἀναγραφαῖς ἑπτα.

10. v. 12. pro reprehensa leg. reprehendenda.

11. v. 22. p. vocatur l. vōcatus.

26. p. Σάθον l. Σέθων.

27. p. γεγόνωτος l. γεγονότος.

p. πεντάετη l. πενταέτη.

12. v. 2. p. μετὰ l. μετά.

12. p. εἶσο l. εἶσο.

24. p. huius *filius* l. *huius filius*.

13. v. 3. p. Ἀρμαῖν l. Armāin.

10. p. quadrenniū tantum l. *quadrenniū tantum*.

14. v. 2. p. successorumque l. *successorū remque*.

15. v. 7. a pag. infima, p. Ἀμένωφιν l. Ἀμένωφιν.


adnot. 27) p. sup. ad Not. 7. l. sup. adnot. 8.


16. v. 14. p. Senechum l. *Senechum*.

36. p. FREDER. J. FRIDER.

adnot. 30) v. vlt. p. 7. l. 8.

Cetera istiusmodi peccata, quae leuiores sunt, eruditus lector facile per se ipse emendabit.





ἡσυχαστον τέλειον ἐν Χριστῷ, Nos Christi (doctrinae Christianae) appetitamur, unicuique tradentes totam sapientiam diuinam, Christum (per eius doctrinam) efficiamus unumquemque omni-
nis absolutum.

cum ita sint: excussum hactenus Matthaei locum sic
indum arbitror:

acti igitur in persuasionem salutarem adducite cunctas
Et lustrali quidem aquae eas immergite, ut Patrem et
butumque huic spiritum diuinum profiteantur. Caelesti
trina impertite easdem, ut seruent omnia, quae vobis

e haec de argumento proposito. Reliquum est, ut paullo
commemorem sollempnia, a. d. XVII. Calend. Mai. apud
randa. Namque post horam matutinam eius diei nonam
nostro fuscipietur litteraria cunctorum huius alumnorum
Qua peracta, ex eorum primoribus sua quisque vice in
adscendent iuuenes quinque, patria omnes lingua dicturi.
atuor propediem concedent in ampliora academiae spatia,
e ex iam nominandis nouissimo, hic etiamnum remanente,
autem

IOANNES BOYSEN
FLENOPOLITANVS

ritu Darii Codomanni verba faciet. Deinde exponet

IACOBVS